ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo viro
Constantino Hugenio Zulichemi Dno,
C. Barlaeus S. P. D.

Clarissime Hugeni, non morabor tua tempora longo sermone. Scio enim te hoc tempore, quo abitionem parat Princeps, clitellis aulicis & castrensibus plus satis onerari. Intelligentia nunc es Peripatetica, quae vastissimos movet orbes, ipsa immobilis. Hysternis undique excis militum, caballos stabulis, et lixas quoque per consequens ac calones e latibulis suis, in aulae angulo positus. Si unquam ante hac, iam quoque gratae fuerint literae tuae, quanquam Laconicae. ob insertam Auriacae liberalitatis syngrapham. Aristoteles meus in Categoriarum libello (meministi opinor) ait: Substantia significat τόδε τι. Quod de Diplomate isto, verissimum est. Superiore aestate de Aligero disseruimus, quae sane velitationes praeludia fuere huius felicitatis, quam pro nomine isto designavimus. Non ignoro, quibus post Principem istud beneficium debeam. Sed non attinet semper iterare gratiarum actiones apud illos, qui beneficii in se, quam in alios collati, meminere esse malunt. Fruar hoc beneficio quoad vivam, ut habet textus. Sed & me laudatissimus Princeps Encomiasten habebit, quoad vivam. Ultra vatem agere non possum. Mortui non laudant Dominum, nec Principes. D. Graphiario gratias egi pro benefica chartae subsignatione. Verum non debebant istae gratiae intra verba stare. Rogo, tribus verbis indices, quo honorario redimi soleat eiusmodi diploma. Habebo rationem honoris mei & moris aulici. Si quid a me conferri posse in filium suum putat vir amplissimus, conferam id re liberalissime. Et iam habeat hos de conscribendo carmine aphorismos. Ubi adoleverit aetate et doctrina instillabo graviora. Cum hic esset clarissimus Hondius, meque prandio pro dignaretur, uti est facetus senex, Nihil habebimus inquit. Quare domum reversus coegi ocyus in pedes epigrammata aliquot. Et ne laevis me oculis aspicerent Legationis socii, etiam illis valedixi.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1120

Vale amicorum praestantissime. Proficiscere, abi quo voles, vel ultra Eburones et Tungros. Sequar te animo, votis, literis. Quod si hae forte incident in hostium manus, videbunt illi inter arma poëtis otia esse, inter arma nos amare et scribere, inde metuere sibi valde à Cardinalibus Infantibus quatuor Virtutum Cardinalium inpraesentiarum professorum. Iterum vale et Dnam de Zuleco liberosque saluta. Nobilissimo Mystio scribam cras. Vorburgius hic est. Wicquefortius Hamburgi de capessenda haereditate cogitat. Raptim Amstelod. XII May. CIƆIƆCXXXV.

Literis meis ad Graphiarium datis
adram tuam vel binas commoda.
reliqui apertas, ut legeres.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1120

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1120

Nobilissimo viro D. C.
Hugenio, Zulichemi
Dno, Ill. Principi
a secretis.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 92
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1120